

dicto compromisso data, lata, promulgata vel emanata, vigore concordie de dictis decimis facte inter ipsum Comitem Joannem, prout de dicta concordia decimarum, inter eos facta, patet publico instrumento, scripto, publicato, rogato manus mei Notarii infrascripti, dictis Anno millesimo et indictione, et die decimo mensis octobris, sit cassum et cassa, irritum et irrita, et nullius valoris et efficacie vel momenti. Et hoc fecit et facit prefatus Dominus Andreas Spalatensis Archiepiscopus, requisitus et rogatus per dictum Dominum Comitem Joannem, et ad petitionem et requisitionem prefati Domini Joannis Comitis Cetine, ibidemque presentis et ipsum Dominum Archiepiscopum instanter requirentis. Qui dominus Archiepiscopus nunc et de presenti, quantum ad ipsum spectat et pertinet, cassat et irritat, annullat et annichilat. Promittens prefatus Dominus Archiepiscopus Andreas, per se et eius successores, praedicto Domino Comiti Joanni, pro se et eius heredibus et successoribus, recipienti et stipulanti, nunquam per se, vel alium sive alios, petere; super hoc arbitrari seu sententiari aliqua ratione vel causa, per dictum compromissum, seu aliquam sententiam, ex dicto compromisso emanatam, in iudicio, nec extra, contra dictum Dominum Comitem Joannem producere, exhibere vel ostendere; et promisit quamdam sententiam a dicto compromisso latam et emanatam, ad omnem petitionem et requisitionem ipsius Comitis Joannis eidem Comiti Joanni dare et consignare omni gratia et vigore, supradicte concordie, etiam sub capitali sigillo Spalatensi vel Traguriensi. Promittens per se et suos Successores, solempni stipulatione interveniente, praedicto Domino Joanni Comiti, pro se et eius heredibus et successoribus, recipienti et stipulanti, dictam suam confessionem et dictam suam promissionem perpetuo et omni tempore habere ratas et firmas; et omnia et singula supradicta facere, attendere et observare, et non contrafacere vel venire per se, vel alium, seu alios aliqua ratione vel causa, cum resarcione omnium dampnorum et expensarum, et sub obligatione omnium suorum et dicte sue Spalatensis Ecclesie honorum. Actum Spalati super sala superiori Archiepiscopalis palatii: presentibus Magnificis et potentibus viris Domino Paulo Michaelae, dictorum Regnorum Dalmatie et Croatia Vicebano, Domino Butcone Comite Corbavie, Comite Gevraio Butkovich et aliis.

*Signum Notarii:*

Ego Jacobus, filius quondam Ubertini de Pugliensibus de Placentia, publicus Imperiali auctoritate Notarius, de praemissis rogatus, scripsi fideliter et publicavi etc.